



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1616

14. A quibusnam Beneficarius se continere debeat, nt beneficium amittat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14007

CAP. XV.

A quibusnam Beneficiarius se continere debeat, ne beneficium amittat.

Annotandum est quibusdam rebus esse iure communi beneficiario interdictum, sicut etiam Clerico ad sacros ordines promotio. In utroque enim vitæ, & morum probitatem, & honestatem Canones requirunt.

Interdicta igitur est in primis Beneficario militia, ut constat cap. Nimum. cap. Cum à Iudæis. cap. Quicumque Clericus. c. Clerici. c. Quicumque ex Clero, 23. q. 8. unde Beneficiarius miles effectus, & ad bellum progressus, & in eo pugnans, hoc ipso beneficium dimittere creditur. Quares, an Ecclesia pro derelicta habeatur eo ipso precise quo Beneficiarius sic miles? Glossa in capit. qualiter. de Cler. non resid. sentit pro derelicta haberi, ita ut Ordinarius iure possit eam Ecclesiam alteri conferre, nec ad id opus esse aliam monitione, citatione, aut priuatione. Sic ceteri Iuris interpretes in capitulo ex tua. de Clero. non resid. eadem questio est, cum quaeritur, an Clericus minoribus ordinibus initiatus, si miles fiat, eo ipso Clericorum privilegia amittat. Innocentius cap. 1. de Apostatis censet non amittere, nisi in bello pugnet, arma tractet. ceteri teste Abbate cap. ult. de Clero. coniug. aiunt illum amittere. Certe si fiat miles ea lege & conditione, qua olim iure civili milites fieri solebant, ipso facto amittit, nam ut Glossa docet in l. Milites 2. ff. ex quibus causis Maio. olim milites cingulum militare accipiebant, & iurabant se pro Repub. pugnaturus: quod Clericis facere non licet.

Prohibetur etiam Beneficiarius arma deferre. ca. Clerici arma. de vita & honesta. Cleric. quod locum habet in omni genere armorum, quibus homines uti consueverunt ad offendendum, & laedendum alios; secus de armis, quibus quis vitur ad se tuendum & defendendum: nam fas est Clerico armis vitam suam tueri, si quis per vim in ipsum irruerit, ut docet communis opinio. Fas itidem est suorum, vel externorum etiam innocentum vitam defendere, teste Pan. in c. Clerici. citato n. 3. de vita & honesta. Clericor. Dubie tamen questio est, An Clerico liceat armis uti ad res, & bona sua defendenda: sed eam dubitationem suo loco diluemus. Quo fit, ut si beneficiario sit transeundum per loca, in quibus latrones, & hostes insidiantur, depraedantur, & interficiunt, aliaque perpetrant huiusmodi mala, ei liceat arma gestare. Prohibetur quoque Beneficiarius, sicut Clericus in Sacris Ordinibus constitutus iurare coram Iudice seculari: nisi iustus à Iudice Ecclesiastico. cap. Nullus. 12. q. ult.

Item Beneficario nec licet Aduocati munere, fungi apud civiles & profanos Iudices in negotiis profanis, & secularibus nisi in quatuor casibus, videlicet vel causa defendendi se, vel secundo Ecclesiam suam, vel tertio eos, qui in iure miserabiles personæ vocantur; quales sunt ij, qui per se, vel per alios id facere nequeunt. capit. Clerici, & in capit. cum Sacerdotes, de postulando, vel quarto causa defendendi eos, qui sunt sibi sanguine coniuncti. Antonius in c. ex parte Decani, c. Nonnulli, de Resc. Angelus in verb. Aduocatus n. 5. Silu. eo. ver. b. Quarto utrum, Panorm. in c. 1. de Postul. Porro coniuncti sanguine, intelliguntur vsq; ad quartum gradum. Angelus loco cita. secus vero est apud Iudices ecclesiasticos. Inno. c. 1. de Postul. Silu. in eo loc. cuius supra meminimus.

Præterea beneficiarius procurator esse non potest in iudicio, in his, quæ ad causas criminales, siue civiles spectant, nisi tantum pro se, vel pro ecclesia sua, vel pro sibi coniunctis, vel pro miserabilibus personis. Prædicti Auctores loc. supra cit. Non possunt itidem beneficiarij esse famuli, vel ministri laicorum, nec procuratores eorum, etiam extra Iudicium. Abbas in c. Sacerdotibus, ne Clerici, vel Monachi.

Prohibetur etiam Beneficiarius alea ludere. c. Clerici of-

ficia, de vita & honesta. Clerico. Porro aleæ ludus intelligitur is, in quo magis casus valet, quam industria, vel ingenium ludentium. Unde aleæ ludus comprehendit omnes ludos, qui pendenti casu accipiunt. extrat Titulus in Iure civili ff. de aleæ lusu, & Aleatorib.

Non licet Beneficario fungi munere, & officio macellarij, tabellionis, histrionis, aliorum vilium opificum. Cl. 1. de vita & honesta. Cler.

Beneficiarius quoque prohibetur sententiam sanguinis per se ferre, aut præcipere, ut alius ferat, aut consilium dare, aut litteras dictare, vel scribere, c. sententiam, Ne Cler. vel Monachi.

Porro sententia sanguinis est, quæ fertur, ut quis, vel morte, vel membri alicuius amputatione muldetur. Non potest itidem præfens esse, vbi talis poena Iudicis officio executioni mandatur. Cap. sup. cit. An vero contrahat irregularitatem Beneficiarius, si interfit, dubium est. Sed Respondet cum Glossa. & Inno. Hostiensis. & Abb. in eo. c. si solum præfens adfit, non contrahet: verum peccare, si interfit sine vlla rationabili causa, sola voluntate, quia facit contra præceptum ecclesiæ: & poena arbitraria pollet molestari. Cum beneficiarius autem sua præsentia prædictam Iudicis sententiam quasi auctoritate approbat, atque confirmat, sic irregularis, Innocentius & Panormitanus in eo. cap.

Prohibetur quoque Beneficiarius canes, & aues nutrire, vel habere ad venationem, vel aucupium c. 1. & 2. de Clero venatore, & Glossa in ca. Qui venatorib. dist. 86. quibus in locis dicitur: Episcopum, Presbyterum, aut Diaconum canes aut accipitres, aut huiusmodi ad venandum habere non licet, quod si quis talium personarum in hac voluptate sapienter detentus fuerit: si Episcopus fuerit, tribus mensibus à communione: si presbyter, duobus: si Diaconus, ab omni officio suspendatur.

Ad hæc Clerico interdicitur negotiatio, ca. ult. de vita & honesta. Cler. c. 1. & 2. Ne Cler. vel Monach. Sed quid negotiationis nomine canones & Iuraintelligunt? Respondet, cum Antonio & Abb. c. ultimo, de vita & honesta. Cleric. eam solum negotiationem intelligi, qua quis rem quampiam emit, vt eandem non mutatam postea vendat. Unde non est interdictum Beneficiarijs animalia nutrire, & postea vendere, vel ex lana, vel filo, vel panno, arte, & industria confecto lucrum querere. Idemque dicendum, si ex argento, vel auro aliquid arte elaboratum vendiderit. tunc enim ex artificio, non ex negotiatione lucrum comparat, quod est licitum Clericis. Glossa 14. quæst. 3. in summa. ex ca. Cler. dist. 91. & c. 1. 21. q. 1. & c. nunquam, de consec. dist. 5. & Glossa in c. Canonum. 14. quæst. 4. Pari ratione si quippiam ex suo patrimonio, vel ex beneficij fructibus habuerit venale.

Secundo quaeritur; An liceat Beneficario, non per se, sed per alium negociari? Sit exemplum: Titius Beneficiarius habet ex patrimonio pecunias, quaeritur, an ei fas sit eas mercatori tradere, vt negotiationi exponat. Similiter, An tuta conscientia possit cum fratre suo laico, cognato, vel amico societatem inire, ita vt ipse pecuniam in commune conferat, sed solus laicus negocietur. Præterea, Religiosorum Cœnobium ex suis redditibus, & bonis pecunias colligit, An liceat eas mercatori ad negotiationem conferre? Respondet, cum Medina tractatu de reb. restitu. en. q. 31. Canones, & Iura solum prohibere, quo minus Beneficiarij, vel Clerici sacris Ordinib. initiati per se negocientur: eo quod negotiatio eos minime deceat. Porro Beneficiarius si ter admonitus, à negociatione non desistat, Clericorum privilegium amittit. ca. vlti. de vita & honesta. Cleric. liber & immunis non est à tributis, & vectigalibus auctoritate publica negociationi impositis.